

lucis, luminis, admirationis, contemplationis proles est verissima. A luce ergo, eiusque prole lumine, rerum sensibilibus præstantia omni primis, primarioq; sensui, primo cognitis, Philosophiæ nostræ, prima iacimus fundamenta. Quod si philosophi veteres fecissent, nec ignota sensibus, ac mentibus omnibus, Chaos, Homœomerias, Atomus, Materias primas, secundasve, rerum principia statuissent; nec in tantas ipsi dissensiones venissent: neque in abyssum tenebrarum, philosophiam coniecissent. Lux ergo, et lumen primaria eius proles, ante omnia sunt nobis cognoscenda. Per ea, ad primam lucem, patremque luminum ascendendum. Apud eum tantisper commorandum. Ab eoque res omnes deducendæ. Per deductas, ad eum iterum revertendum: ut apud eum mansionem perpetuam faciamus.

A luce igitur, et lumine, quæ nos maxime admiramur, exordium sumamus. A luce inquam, quæ Dei ipsius, eiusque bonitatis est imago. Quæ omnem supramundanam, omnem circummundanam, omnemque mundanam, illustrat regionem. Quæ sese per omnia extendit. Per omnia se fundit. Per omnia permeat. Omnia permeando format, et efficit. Omnia vivificat. Omnia continet. Omnia sustinet. Omnia congregat. Omnia unit. Omnia disgregat. Omnia quæ vel sunt, vel illuminantur, vel calescunt, vel vivunt, vel gignuntur, vel nutriuntur, vel auferuntur, vel perficiuntur, vel moventur, ad se convertit. Conversa purgat. Omnia perficit. Omnia renovat. Omnia conservat: et ne in nihilum abeant, efficit. Omnium rerum est, et numerus et mensura. Lux rerum omnium purissima. Inalterata, inalterabilis: Impermixta, impermiscibilis: Indomita, indomabilis. Nullius indiga. Dives omnium. Ab omnibus optata: Omnibus optabilis. Cælorum ornamentum. Ornamentum corporum omnium. Mundi decor. Mundi pulchritudo. Mundi gaudium. Mundi risus. Qua, aspectui nihil iucundius. Nihil animo lætius. Nihil vitæ commodius. Nihil cognitu præstantius. Nihil ad agendum utilius. Sine qua, iacerent in tenebris, inertia sibi ipsis omnia, nobisque incognita.

Hanc ergo lucem contemplationis omnis primariam causam, contemplando prosequamur, et propositorum probationes exordiamur.

Lux in corporibus quibusdam cernitur: in aliis non cernitur. Corpora ergo distinguenda. Corporum igitur, alia sui natura, lucida sunt, Sol, stellæ, ignis. Alia sui natura sunt opaca, Luna, terra, nubes. Alia neque lucem habent, neque opacitatem, utramque tamen in se recipiunt, neutram vero retinent: Æther, ær, aqua. Hæc Græci diaphana, Latini perspicua, et transpicua appellavere. Lucida, luce plena sua, alienis tenebris sunt impervia. Opaca, tenebris plena suis, alieno lumini, non sunt pervia. Diaphana propriis et lumine, et tenebra carentia, alienis, et lumine, et tenebra permeantur.

Lucida ergo corpora, ea sunt, quæ semper lucent. Lucent autem semper, quæ lucem propriam, sibi innotam, et connatam habent, ut Sol, sidera, ignis. Quid ergo triplex lux? Et non una? Vel una in tribus? An his, aliqua prior? An vero hæc, primæ sunt luces? Profecto, si tres hæc, sunt inter se diversæ, multitudo sunt, et numerus. Ante vero numerum et multitudinem omnem, est unitas. Neque ulla, aut est; aut esse potest multitudo, quæ a sua non profluat unitate. Ergo et ante has tres luces: videtur una lux existere necessario. Si hoc, una hæc lux, prima ne lucium omnium erit? An vero ante ipsam alia? Et ante hanc alia? Et in infinitum fiet lucium progressus? Hoc nequaquam. Ergo una, erit omnium, lux prima. Hæc lux una, ac prima, cum nullam aliam ante se habeat, corporea ne erit? An incorporea? Si corporea dicatur: necesse est eam, vel in corpore alio esse, antequam in Sole, vel in astris, vel in igne. Vel harum aliquam esse primam. Ignis quidem unius, a nostro hoc differentis esse, dici non videtur posse (cum nullus alius conspiciatur). Neque ex nostratis genere videtur esse